Fragmentarium

Moyses vero in monte similiter legem accepit. quia totum legis misterium intellexit. populus vero in imo docetur.
quia rudes et minoris capacitatis uidetur. precepta uetera legis. in talia et imperfecta erant. ad facienda
precepta vero que dantur est. illud imperfectionis quod illa habebant. sublata sunt. et in istis perfecta consummanda est. Unde
dictum est. nisi abundauerit iustitia uestra plus quam scribarum et phariseorum et cetera. Ihesus uidens ergo. Tibe sequentes eum. uidens
autem turbas ascendit in montem. ut uitaret eas. quia coram eis ista alta non erant predicanda. In hiis ergo docet
quod predicator debet docere iuxta capacitatem audientium. Et cum sedisset: Ideo sedit ut magistrum se
doceret. Magistrorum enim et docentium est sedere. Accesserunt discipuli ut uicinius audirent que ad implenda propalat.
Et aperiens os suum. per hoc quod dicit aperiens. significat quia non pauca sed multa. non humilia sed profunda. quasi
thesaurum aperiens dicturus erat. Allegorice. Christus ascendit in montem. id est in ecclesiam. ut adimpleretur quod dictum per David.
Ego autem constitutus sum rex ab eo super Syon et cetera. quod significat Syon. hic et mons iste. Sedere est humi
liari. per humanitatem assumptam. Aliter non docet nos nisi quando formam nostram assumendo sederet. id est se
in nobis inclinaret. et uisa sessione eius humilitatis. potuerunt ei discipuli accedere. quia quamdiu erat in
trono sue maiestatis. non poterat eum homines comprehendere. Unde dicitur. In mundo erat et mundus non
cognouit. Et qui prius locutus nobis fuerat in prophetis. in filio suo locutus est. et primum os filius nobis tamen aperuit.
Alia lex data est in terrore. quia fumus et tube et procelle fuerunt circa montem. In datione uero noui testa
menti. nichil horum. sed totum in tranquillitate fuit factum. ut doceret hanc legem non timore sed amore com
plendam esse. Alia est scripta in lapidibus. ista in corporibus; Aliter enim nouum a ueteri testamento non distaret.
Unde apostolus. Multo meliorum testamenti mediator est. Et per prophetam ait dominus. hoc testamentum quod dis
ponam domui Israel post dies suos illos dando leges meas. in uisceribus illorum. et in corda eorum.
super scribam eas et cetera. Beati. Sicut Moyses dedit legem in decem preceptis. quibus illa omnia continebantur. sim
liter Christus tribuit nouum testamentum in septem. et sicut Moyses explicauit decalogum. postea de illis faciendo
plura quoque mandata. similiter Christus de ipsis eisdem per partes plenius postea tractat. Septem sunt dona spiritus
sancti; septem sunt petitiones in dominica oratione; septem sunt ista ma[...] data quibus omnia conueniunt. In
prophetia omnia computantur dona a superiori descendentia ad mi[...]nimum. dicendo. spiritus sapi
entie. et intellectus. spiritus consilii et fortitudinis. spiritus scientie [...] et pietatis. et repleuit eum
spiritus timoris domini. Quia de Christo descendente ad terras agebat ut Christus autem sequitur morem boni doctoris
ab inferiori incipit. et tendit ad superiora. et ideo incipit a paupertate. id est a remotione mali. et a
timore. Quicumque enim uult ad dominum accedere. debet primum mala remouere. mundum abdicare. dominum
timere. Nota quia in dominica oratione septem petitiones sunt. tres de celestibus. sed tres de temporibus;
priores inferiores de terrenis. et media est quasi communis adherens tamen plus celestibus. et prius alti
ores. deinde inferiores. et tamen libera nos a malo est prior naturaliter. Sic timor in septem donis. dicitur
septima. Initium sapientie timor domini. et illa duo conueniunt cum hac paupertate a qua incipit. Agit ergo
primo de paupertate. et postea de coherentibus aliis duobus. Paupertas ista est abdicare se et sua.
Duo uero sunt abdicanda exteriora et interiora. Exteriora sunt nobilitas et diuitie. et alie possessiones.
Interiora sunt ingenium. fortitudo. pulcritudo. uelocitas. et hiis similia. Abdicare ergo debemus
ista. ne confidamus in diuitiis. in nobilitate. in ingenio nostro. et ceteris. sed in solo deo ponamus spem
nostram. Cetera autem uera habent. quasi non habeant. Ista paupertas et in diuitibus esse potest. Unde David.
diuitie si affluant. nolite cor apponere. sed securius est eas non possidere. Unde dominus. uende omnia que habes et cetera.
quia uix sine amore possunt haberi. et hic ideo postulatur. ut dicitur. sed libera nos a malo. liberari enim
a malo est a seculo nequam. non quod illici sed expediri a desiderio huius mundi. quia presentia bona
ostenderet. inuisibilia derideret. homines ad se attrahit. hec omnia [...] non possunt facere. nisi per spiritum
timoris. Audiant enim dominum gehennam minantem. et per hoc extra mundo retrahentur.

License: public_domain – Cambridge, MA, Harvard University, Houghton Library, MS Lat 292, (seq. 8) – Commentaries on Matthew IV, 3-V, 22 (https://fragmentarium.ms/view/page/F-rpfm/1264/16941)